

683

C O D I C E S

684

dex, manu scriptum, olimque, I. *Opp. Bedae* edit. *Colon.* 1688.
sed minus castigata impressum T. f. col. 449.

*Nobilibus quondam fueras constructa patronis,
Subdita nunc seruis heu male Roma ruis.*

*Deseruere tui tanto te tempore reges,
Cessit et ad grecos nomen honosque tuus.*

Constantinopolis florens noua Roma uocatur.

Moribus et muris Roma uetusta cadis.

*Transit imperium, mansitque superbia tecum,
Cultus auaricie te nimium superat.*

*Vulgus ab extremis distractum partibus orbis;
Seruorum serui nunc tibi sunt domini.*

*In te nobilium rectorum nemo remansit,
Ingenuique tui rura pelasga colunt.*

*Truncasti uiuos crudeli uulnere Sanctos,
Vendere nunc horum mortua membra soles.*

*Jam ni te meritum Petri Paulique foueret,
Tempore iam longo Roma misella fores.*

Duo, quae moneam, supersunt. Primo: obscurissima illa *Epigrammata* supra allata uideri fuisse in Codice graeco, quo *Johannes* interpres usus est, singulis Libris instar *Summariorum* praefixa, atque ab eo, prout poterat, latine simul reddita. Secundo: ad emendandam *Johannis* Versionem, ut impressa legitur, *Codicem* nostrum maxime utilem fore, nisi eam supervacaneam fecissent cum aliae recentiores, tum maxime *Corderiana* interpretatio, e cujus Viri editione *Antwerp.* 1634. T. II. f. ita *Pseudodionysium* habemus, ut, teste *Oudino* T. I. col. 1371. in posterum inutilem prorsus laborem susciperet, qui argumentum idem aggrediretur.

CCXVIII. IX. 7. 20.

Codex membraneus lat. Sec. 626 XIV. Folior. 97. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas sat nitide exaratus et rubricis distinctus, olim *Job. Sambuci* continet. I. *Dionysio Areopagitae* subposita Opera latine reddita a *Job. dicto Scoto Erigena* dicataque *Carolo Calvo* Imp. ut habes *Cod.* praeced. quo eadem retulimus. Initium in praesenti ducitur a *Praefatione* ad *Carolus* profaica illa, quam *Jac. Usserius* p. 41. *Sylloges Vet. Epistolar. Hibern.* vulgavit. Praeunt vero et *Carmina* ab eodem p. 40. edita, ita tamen extrita, ut e solis paene literis initiorum agnoscantur. *Praefationem* excipiunt 12. *Disticha*, quae incipiunt: *Lumine sidereo* &c.

&c. binamque subpeditant lectionem *Usseriana* meliorem, videlicet V. 7. *Quo* (Hierotheo) *mox edoctus*, pro *Qui mox edoctus*, et V. 17. *Suspicit ad Seraphim* pro *Suscipit*. Versus tamen 21. Graecus aequè corruptus est. Libro mox de *Coelesti Hierarchia* praefixus est *Capitum Elenchus*, quem *Codex* praeced. non habet, et *Epigramma*, quod ille ad calcem rejicit, quodque hic aliter, et quidem sic sonat: *Epigramma in beatum dyonysium de celesti ierarchia. Angelice sapientie fulgores multos projecisti hominibus. manifestasti uidere animo compositam pulchritudinem.* De his *Epigrammatibus* mentem meam aperui ad *Cod.* mox cit. Sequitur jam *Liber de Ecclesiastica Hierarchia* praemisso Elencho et Epigr. item *Liber de Divinis Nominibus*, de *Mystica Theologia*, et demum X. *Epistolae*, omiſſa illa ad *Apollophanem*. *Codex* cetera fat mendosus *duobus* Excerptis terminatur, quorum prius ex *Eusebii Hist. Eccl.* L. III. c. 17. *Iuvenem* inter *Latrones* delapsum et a *Iohanne* *Apost.* ad frugem reductum exhibet; alterum e *Philonis* Libro *περι Βίαις Θεωρητικαίς* de *Monachorum Aegyptiorum* vivendi ratione tractat. Ad neutrum

porro *Librarius* indicavit, unde depromserit.

II. fol. 40. *Incipit summa de Anima composita a fratre iohanne de Rupella.* Autor *Gallus* *Ord.* *FF. Min.* *Magister Parisiens.* e *Schola Alex. Alensis* obiit 1271. *Ejus* *Gesta* et *Scripta* referunt *Tritemius* n. 459. *Waddingus* in *Annalib.* *Ord.* et *Scriptt.* *O. M.* et *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. IX. *Mirum*, quod praefens illius *Traſtatus* metaphyſicotheologicus *Waddingum* effugerit. *Incipit* ille: *Si ignoras te o pulcherrima mulierum uade et abi post greges caprarum. Cant. Tibi anima rationalis proportionatur uerbum istud, que es mulierum pulcherrima. quia omnium creaturarum speciosissima. tenes ymaginem et similitudinem summe pulchritudinis et decoris. Hanc tuam si ignoras pulchritudinem. irrationabilibus gregibus compararis. Vade et abi post greges. Tibi ergo anima de te ipsa consideranda sunt tria. Substantia uidelicet tua. uirtus. et operatio. En tres Operis Partes, quae deinceps in Quaestiones et Articulos abeunt. Ad calcem: Ad laudem dei et beate uirginis Marie. Explicit summa de anima quam composuit frater Iohannes. Cetera erasa. Alia manu additum:*

*Mens humilis, studium querendi, vita quieta,
Scrutinium tacitum, paupertas, terra aliena,
Hec referare solent multis obscura legendi.*

Aliud de Anima *Scriptum*, quod *incipit*: *Sicut dicit Iohannes Damascenus* &c. et in *Cod. S. Victo-*

ris Paris. *Nostro* tribuitur, ad recentiorem quendam *Scriptorem* rectius referri autumat *Oudinus*,
cujus

687

C O D I C E S

688

cujus T. III. col. 160. si lubet,
adi.

CCXIX. VI. F. 10

394 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 57. 4. nitide scriptus, titulis omnibus miniatis, olimque pertinens ad *Librariam Capituli Ecclesie Ratisponensis* complectitur: I. D. *Augustini Libros II. Retractionum* praemisso *Capp.* Elencho eodem prorsus, quem praeferunt Editi T. I. *Opp. Paris.* 1689. *Incipit. Liber. Primus. Jam diu est ut facere cogito atque dispono quod nunc adiuuante domino adgredior &c. Finis Operis: alios a me dictos retractare cepissem.* Adcuratio Scriptoris est infra calami elegantiam.

II. fol. 46. p. 2. *Incipit eiusdem epistola ad optatum episcopum.* Initium: *Domno beatissimo et sincera dilectione desiderabili fratri et coepiscopo obtato in domino salutem. Quamuis tuę sanctitatis nullas ad me ipsum datas acceperim litteras &c.* Agit de Origine Animae, et est in *Edit. suprac.* T. II. col. 700. *Epistola CXC.* Integra in *Cod.* Textusque sat castigatus.

III. fol. 52. p. 2. *Incipit eiusdem Sancti Augustini Liber de Diuinatione Demonum.* Initium: *Quodam die in diebus sanctis octauarum cum mane apud me adessent multi laici christiani &c.* Legitur. T. VI. col. 505. correctius. Finis: *quantum dominus adiuuat respondebimus.*

IV. fol. ult. p. 2. *Incipit questio de magis faraonis eiusdem sancti augustini.* *Traetat Augustinus differentiam Potestatis Sanctorum et Magorum in edendis Miraculis in Lib. de divers. Quaestionibus LXXXIII. Quæst. 79. T. VI. col. 69.* Sed ibi verba *Codicis* non inuenio, quamvis sententia concordet. Videtur igitur quispiam mentem tantum *Augustini* adnotare et exponere voluisse in hunc modum: *Non oportet moueri cum magicis artibus miracula fiunt &c.* Lineas 16. non excedit haec Adnotatio.

CCXX. VI. C. 13

Codex membraneus lat. Sec. 139 XI. Folior. 149. f. per duas columnas eleganter scriptus, rubricis distinctus, bonaeque notae comprehendit *S. Augustini Hipponensis Ep. Confessionum Libros XIII.* hoc titulo literis quadratis minio exarato: *Incipiunt Libri Confessionum Aurelii Augustini.* Initium eodem scripturae genere: *Magnus es Domine et laudabilis ualde. Magna uirtus tua &c.* Finis Libri I. *quia et ut sim tu dedisti michi. Explicit Liber Primus Confessionum. Incipit liber Secundus.* Et sic initia, clausulaeque Librorum per totum caractere quadro. Lectio sincera et plerumque cum *Mauriana* edit. *Opp. Augustini T. I. Paris.* 1689. col. 69. conspirans; loco tamen illo vexato *L. VIII. c. 3. col. 146.* ubi *Mauriana* *Codices Anglicos* secuta habet: *inspirabat populo*